



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opera S. Matris Teresae De Iesu Carmelitarum Discalceatorum et Discalceatarum Fundatricis

In duas partes distincta

Teresa <de Jesús>

Coloniae Agrippinae, Anno MDCXXVI [erschienen] M.DC.XXVII.

Approbatio R. P. F. M. Ioannis De Lerma Ordinis S. Benedicti, Prioris S.
Pauli Barcinone.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37974

APPROBATIO ILLVSTRIS. ET REVERENDISS.
Cæsaris Cardinalis Baronij.

Rogatu & petitione Reuerendiss. Magistri S. Palatii legi & diligenter examinaui hunc S. M. TERESA de IESV librum, qui præter singularem, quam continet doctrinam, insignem lectori adferre poterit utilitatem. Dat. Romæ anno 1593. die 8. Martij.

Cæsar Card. Baronius.

APPROBATIO R. P. F. M. IOANNIS DE LERMA

Ordinis S. Benedicti, Prioris S. Pauli Barcinone.

Ego infra scriptus, iussu, & mandato Reuerendiss. Domini D. Ioannis Dimas Loris, Episcopi Barcinonensis, legi, & peruolui hoc opus, quod Sancta illa Virgo TERESA de IESV Carmelitarum Discalceatorum & Discalceatarum Fundatrix speciali quodam spiritu Dei directa conscripsit, in quo, ut illud à plurimis ætatis nostræ viris tum auctoritate, tum doctrina præstantibus approbatum esse taceam, nihil inuenio, quod Fidei nostræ Catholicæ, & doctrinæ Sanctorum quoquomodo aduersetur; sed multa maximæ efficacitæ documenta, quæ ad conversionem peccatorum, reformationem morum, & eorum qui in corruptibili hac carne ambulantes, per profundæ considerationis & orationis viam (quæ plerisque occulta & abscondita est) ad DEVM tendere desiderant, instructionem mirè conducent. In hac porro via, altissima quæque mysteria, & Sacramenta, quæ superbis, arrogantibus, ac sibi ipsis nimium quantum placentibus abscondita sunt; humilibus, (ut æterna sapientia in Euangelio ipsis promittit) communicantur; dum hi ad Crucifixi Domini pedes velut sedentes, in isthoc vitæ libro, qui ut vitam hanc nobis donaret, mortem subire non dubitauit, continuò legunt. In hac quoque via vitæ illius & bonorum, quæ, quia æterna, & durabilia sunt, solæ nomine vitæ ac bonorum, dici possunt, primitiæ degustantur. In hac deniq; anima ad Deum (qui vltimus finis, & omnium illius desideriorum velut centrū est) sustollitur. Hoc porro manifestè in Sancta
hac

hac muliere, & admirandis eius operibus videre est. Magna quippe eius humilitas, discretio & seria super seipsam vigilantia, quam, quoad vixit, semper adhibuit, satis euidenter è primo hoc, què de VITA sua summa cù humilitate & discretione, Patris sui spiritualis iussu, & mandato scripsit, tractatu, colligitur, in quo, & vitæ, & operum suorum, non exteriorum solum, & manifestorum, sed & spiritualium, & maximè occultorum, quæque vt intelligantur cùm visum defæcatissimum, tum oculos perspicacissimos requirunt, exactissimam descriptionem facit. E secundo autem, quem *Viam perfectionis* vocat, quemque ad Monialium suarum petitionē & instantiam, simul & instructionem conscripsit, facile videre est eam, quam ipsa diuinę gratiæ ope, & adminiculo sibi perfectionem comparauit; cùm tam scitè eam per præcepta doceat, tam efficaciter persuadeat, quæque in via tam parum trita, & negligentibus, torpidis & debilibus vsq; adeo difficili, occurrunt fraudes, & pericula tã apertè declaret, eamq; per ita prudentia, ad cordata monita, & documenta concludit, vt eius, à quo illa proficiscuntur, prudentiam, & summam in rebus spiritualibus experientiam ad oculum manifestent. Per Tertium, *et Mansiones* nuncupatum, mansio illa durabilis nobis describitur, qua ipsa in Cælis haud dubiè iam fruitur, cum adhuc in terra degens, tantis à Deo fauoribus præuenta sit, tamq; alta & sublimia gustare & experiri meruerit, & quidè tã eminenter, ac perfectè, vt ea etiã clarissimè & distinctissimè conscribere (alioquin enim id impossibile videatur) summa cù Sanctissimorū, & in rebus spiritualibus versatissimorū virorū admiratione potuerit. Ac proinde, saluo meliori iudicio censeo, hosce omnes libros tū ad Domini eius, qui vt plurimū seligit quod debile & infirmū est, vt, quod firmū & validū est, euincat & prosternat, idq; ad ostensionē mirabiliū, ac supremæ potētiae suæ laudē & gloriam: tum etiam ad æternam singularis huius mulieris quæ merito sæculi nostri decus, quinimo ætatis huius miraculum dici potest, memoriam, tū denique in comunē omnium fidelium, cuiuscunq; status & conditionis sint (cū doctrina hæc sit omnium, in quo illius & magnitudo atq; excellentia, simul etiam opus hoc à Deo venire patet) vtilitatem, imprimi & prælo tradi debere; quod eorum diuulgatio &

magno-

S.
Theresia

Opera

N VII

158

magnoperè honorem Dei auctura, & in totius Catalaunia,
Hispania, atque adeo orbis Christiani vtilitatem cessura sit.
Datum Barcinone in Monasterio S. Pauli Ordinis gloriosissimi
Patris N. S. Benedicti, in Festo Exaltationis S. Crucis. Anno 1588.

Fr. Ioannes de Lerna Prior.

ALIA CENSURA R. P. F. LVISII LEGIONENSIS

Ordinis S. Augustini, Madriti.

VIdi, & relegi libros, quos S. M. TERESA de IESV com-
posuit, Vitam videlicet eius, Viã perfectionis, & Mansio-
nes, simul & alia opuscula illis adiuncta: quæ sanam & Catho-
licam doctrinam continent, simul & quantum mihi videtur,
perutilia sunt iis qui eadem lecturi sunt. Docent enim, quàm
facilè homo possit Deo per familiaris fieri; gradus itena aper-
riunt, quibus ad tantam, tamque eminentem bonum ascendatur;
denique quæ in eare occurrere possunt pericula & illusiones,
patefaciunt, & vt caueantur iubent: Idque tanta cum facilitate
& claritate, ac simul tanta verborum efficacia, vt nullus, si
modo spiritualium rerum studiosus existat, futurus sit, qui non
magnam ex horum lectione sibi sit vtilitatem eliciturus: & si
spiritualis non sit, quin spiritualis fieri volet, & vt fieri possit, a-
nimum planè suum sit inducturus, aut saltem summam Dei
benignitatem, quam in se quærentes exhibet, & quam hi illum
citò inueniant, quamq; blanda ipsius cum eis sit conuersatio ac
communicatio, sit admiraturus.

Quare, & ad Dei Opt. Max. gloriam, & commune reipubli-
cæ Christianæ bonum, expedire censeo, vt hi libri imprimantur,
& publici iuris fiant. Factum in S. Philippi, Madriti 8. Septembr.
anno salutis 1587.

Fr. Luisius Legionensis.

INDEX